

IV CENSURA OPERUM

CENSURA LIBRORUM

Cur Deus homo.

Hoc opus in Anglia ad Bosonis instantiam S. Anselmus inchoavit; & in Capuana provincia antequam coereretur Barense Concilium, perfecit: ut ipse testatur in præfatione, & Edmerus refert l. 2. de ejus vita. Inde consequi necesse est hoc opus produisse ante librum *de processione Spiritus sancti* qui ut probavimus, non nisi post Barense Concilium scriptus est. Anno itaque 1094. postquam librum *de Incarnatione Verbi* perfecit, hinc libros S. Anselmus aggressus est, dum per Regis absentiam studiis sanctis totum se daret, juxta Edm. l. 2. de ejus vita. Ipsos autem complevit in villa *Schlavianam* quo diverterat anno 1098. & ubi remanere nimio calore compulsus est, donec instaret status dies Concilii videlicet Cal. Octob. istius anni 1098. & non anni 1097. ut ex Edmero demonstravimus in libri *de processione Spiritus sancti* Censura.

Hos libros Edmerus ipse Beccensi Ecclesiæ, cujus erat filius, transcripsit: ut testatur S. Anselmus in epistol. quæ est 25. lib. 2. Ipsos etiam a Monachis Cantuariæ transcribi ad Paschalem II. mittendos rogavit S. Anselmus: si ejus epistolæ credimus, quæ est 55. l. 4.

Advertendum etiam est quod in fine cap. 17. libr. 2. dicat Anselmus voluntatem se habere scribendi de Originali peccato: unde consequitur librum *de Conceptu Virgin. & Orig. pecc.* esse isto posteriori: quod etiam arguitur ex prologo & ex c. 22. istius libri, ubi meminit librorum, *Cur Deus homo*.

CENSURA LIBRI

De Conceptu Virginali & originali peccato.

Post Barense Concilium, Romanamque Synodum S. Anselmus, dum Lugduni moraretur expletis libris, *Cur Deus homo*, hoc opus scripsit ante meditationem *de Redemptione Humana*: ut fidem facit Edmerus lib. 2. de ejus vita. Liqueat ergo librum hunc esse compositum anno 1099. quo Conc. Rom. celebratum est sub Urbano II. in festo Apparitionis scilicet, S. Michaelis, quod erat terminus induciarum quas in festo Nativitatis Domini post Concilium Barense, Rex Angliæ obtinuerat: juxta Edmer. l. 2. hist. novor. huic enim Synodo Romanæ S. Anselmus interfuit, nec nisi ea peracta Lugdunum repetiit, ut ex Edm. ibidem constat: Nec Lugduno discessit nisi post Regis obitum qui an. 1100. mense Augusto contigit: uno videlicet anno post mortem Urbani II. qui humana exuerat mense Octobri anni præcedentis, ut Edmerus in fine lib. 2. hist. novor. observat.

Hic liber aliquando duntaxat inscribitur, *de Conceptu Virginali*: Sic Cantabrigæ in Ms. 161. Biblioth. publicæ, & in Ms. 217. Collegii Caii, & in Ms. 203. aulæ Pembrochianæ, & in aliis. Aliquando simpliciter, *de Originali peccato*, sic Cantabrigæ in Ms. 235. Collegii S. Benedicti,

& aliis quæ videre est in variis lectionibus. Hinc forte error Trithemii distinguentis librum *de Virginali Conceptu*, a libro *de peccato Originali*.

In præfatione & in c. 22. istius opusculi S. Anselmus meminit librorum, *Cur Deus homo*, qui proinde eo sunt antiquiores: illud vero præcessit librum *de Concordia præscient.* in cujus c. 7. mentionem habet opusculi istius.

Denique in epistola ad Theodoricum, quæ est 42. lib. 4. de eo opere scribit: & illud cum libris *Cur Deus homo* transcribi mandat, ut eos omnes ad Pasch. II. dirigeret. Vide epist. 55. l. 4.

CENSURA DECLARATIONIS

C U J U S D A M

In præcedentem librum.

Et si declaratio hæc in Mss. Sancti Anselmi voluminibus non occurrat, in omnibus tamen illius operum editionibus reperitur. Illius occasionem & argumentum ex ipsamet dicere licet. Verum de illius auctore & ætate non aliud scimus nisi quod cœtaneus fuerit S. Bernardo Clarevallensi, quem vocat sui temporis Spiritus S. organum. Unde cœlestaneum est hanc declarationem esse posterioriorem Anselmo, qui decesserat anno 1109. Bernardus vero junior Monachum induit anno 1113.

CENSURA DIALOGI

De Veritate.

Sanctus Anselmus adhuc Prior hunc dialogum scripsit Edmero teste l. 1. de ejus vita: eodem videlicet tempore quo dialogus *de casu diaboli, de libertate & de Grammatico*. Vide sancti Anselmi prologum ad hunc dialogum, cujus adhuc ipse meminit in c. 5. libri *de Conceptu virginali*. Eadem proinde sit dialogorum *de libero arbitrio & de Grammatico* Censura: si addideris quod in c. 4. quæst. 3. *de concordia gratiæ* &c. mentio fiat dialogi *de libero arbitrio*.

CENSURA TRACTATUS

De Voluntate.

Sanctus Anselmus l. *de Concordia Gratie cum lib. arb.* c. 11. utcumque promisit etsi infirmæ admodum valetudinis, se aliquando dicturum de multiplici divisione voluntatis quæ est usus. Id autem cum nullo in loco attigerit non abs re conjicio ab eo paulo antequam decederet, libellum hunc esse compositum, quem ex Ms. Victor. Cd. 12. edidi; & quidem eo lubentius, quod non modo Anselmi nomen, sed & sententias habet.